





IN NOMINE IESULI  
RECENS NATI  
HOSPITIS GENETHLIACI!

RECTOR

ACADEMIAE WITTENBERGENSIS,  
**JOH. ANDREAS**  
QVENSTEDT, S.S. THEOL. DOCT.  
ET PROFESSOR PUBL. ORDINAR. EJUS-  
DEMQUE FACULTATIS SENIOR, TEMPLI AD  
ARCEM PRÆPOSITUS, ET ECCLESIASTICI  
CONSISTORII ADSESSOR,

*CIVIBUS ACADEMICIS,*

IN PASTORIBUS BETHLEHEMITICIS,  
**GENETHLIACÆ DEVOTIONIS,**  
ET PIETATIS  
OFFICIA SANCTISSIMA,  
COELITUS

P.

IN NOMINE JESULI!



ENI, VIDI, VICI, gloriosa sunt *Encomia*, gloriosa sunt *dicta*, gloriosa sunt *facta*! Cernimus in his admiranda rerum magnarum *indicia*, veneranda pariter *officia*, & cunctis expetenda *beneficia*. Non obscurum etiam in his *Speculum* nobis exhibetur *Genethliacum*, in quo nostris oculis exhibentur, & externa *vita Civilis Officia*, & æterna *Vita celestis Officia*, & interna *vita spiritualis officia*: illa *συμβολικῶς* Regem natalitium quodammodo referunt, ista Regem *Genethliacum* *συζυλικῶς* offerunt, hæc Regem recens natum religiose colunt, VENI, VIDI, VICI, sunt verba fortis *Bellatoris*, prudentis *Imperatoris*, felicitis *Triumphatoris*, *Julius Caesar*, primus *Romanorum Imperator*, heroico animo hæc cogitavit, verbis *heroicis* illa pronunciavit, & *heroicis factis* illa consummavit. VENIT instar fortis, & *invicti Bellatoris* ad *hostes*, non venit ad *otium*, sed ad *negotium*, non ad *fugam*, sed ad *pugnam*, non ad *stragem* suorum *ignominiosam*, sed ad *victoriam gloriosam*; ideo prudentis *Imperatoris* instar *hostem* VIDIT, locum suis ad pugnandum idoneum *previdit*, & *Commilitonibus* suis de cunctis, ad pugnam exoptatam necessariis, *providit*, *Prudentiæ* verò *militari* fortem *animum*, fortiores *manus*, & fortissimum *impetum* adjecit, atq; sic, *invictum* alias, *hostem* hoc insigni *stratagemate* VICIT. *Arte* vicit, & *Marte*, dum hoc τὸ VENI, VIDI, VICI conjunxit, & *Heroicum* illud, ac *Alexandrinum* *ἠνδρὲν ἀναβαλλόμενος* adjunxit. *Hodie natus est*, Non JULIUS CÆSAR, non terrestris aliquis AUGUSTUS, sed potius JESUS CHRISTUS, *Calorum & terrarum AUGUSTUS*, *Humani Generis Salvator*, cui gloriosum illud VENI, VIDI, VICI, longe *potiori jure*, longe *feliciori* *successu*, longe *majori* *fructu* competit. Hic VENIT *in carnem* adversus *hostes spirituales*: hic VIDIT *hostes* suos *tremendos*, hæcenus *invictos*, *previdit* omnes *hostiles impet9 in* atq; *congressus*, *providit*, nobis omnibus & ad *pugnã* & ad *victoriam*, necessariis. *Heros est nobis natus*, & *Gigas* *Geminæ substantiæ*

stantia nobis datus in Puerō, in Parvulo, teste Esa IX. 6. Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, DEUS, Fortis, Nath/ Krafft/ Held/reddidit B. Lutherus, Pater eternus, Princeps pacis: hic VENIT, ut admirabilis, cuncta VIDIT, & praevidit, & omnibus providit, ut Consiliarius, VICIT, & ad victoriam, pugnavit, ut DEUS Fortis, ut Heros invictus, & sic non modo Victoriam, sed etiam Pacem auream nobis comparavit, pacem non externam modo, sed & internam, & eternam, ut Pater eternitatis, & Princeps Pacis. Hoc est illud desideratum VENI Genethliacum, quo Gentium omnium DESIDERIUM VENIRE voluit, & debuit, Hagg. II. 8, Hoc est expectatum VIDIT Natalitium, quod mirum mediorum salutis est artificium, & compendium! Hoc est exoptatum VICIT Genethliacum, quo cunctos Hostes infernales, & spirituales, Heros Infans superavit, cujus adventum David, Regum potentissimus, celebravit Psal. XXIV. 7. Attollite, o portae, capita vestra, & elevamini porta mundi, & introibit Rex gloriae. Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in praelio. Et ut ardorem Spiritus, & fidei, Rex cunctis indicaret, idem repetit v. 9. & 10. Hoc natalitium VENI, VIDI, VICI, de Messia non tantum Prophetae suis auditoribus, ad excitandam genethliacam  $\pi\alpha\rho\rho\nu\sigma\iota\alpha\nu$ , & fiduciam, propoluerunt: sed ipse Jesus noster hoc itidem nobis indicavit Psal. XL. 8. Ego dixi: (praemittit hoc Exordium, instar NB. spiritualis.) Quidnam dixit nobis, & omnibus Genethliacis vel Auditoribus, vel Admiratoribus: VENI: Ecce Venio: VIDI, nim. in volumine libri scriptum est de me, siquidem video in verbo veritatis & sapientiae, tanquam admirabilis Consiliarius Esa. IX. 6. Video in verbo, virtutis & potentiae, contra truculentos Ecclesiae hostes, ut cadant, pereant, & in fenum abeant; Video in verbo salutis & gratiae ad usum & fructum salutarem fidelium: VICI, quia voluntatem Patris facio, & legem ejus, in medio cordis scriptam, possideo, eamque perfectissima, eaque satisfactoria obedientia lubens adimpleo. Cum I. Sam. IV. 5, Arca faderis Domini venisset in castra, nim. Israelitarum, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra.

*ra. Cum audivissent Philistæi vocem clamoris, dixerunt: Quid  
nam est hæc vox clamoris magni in Castris Hebræorum? Dum au-  
tem cognoverunt, quod Arca Domini Venisset in castra, valde ti-  
muerunt dicentes: VENIT DEUS in castra, & ingemuerunt dicentes:  
Væ nobis, non enim fuit sic heri, & nudius tertius, Si hoc in  
arido factum, quid de viridi dicendum: Si tanto metu perculsi  
sunt Philistæi, quando Typus Jesuli, Fæderis Arca, VENIT in castra  
corporalia, quantus erit stupor & tremor infernalium Philistæorū  
cū hodie natus est Antityp9 Arca, Jesul9 noster, & DE9 manifesta-  
tus est in carne I. Tim. III. 16. & ipse Christus in Ecclesiæ castra VE-  
NIT: Ecce clamat Legatus, & Præco Nataliti9, annuncio vobis Gau-  
dium Magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie  
Salvator, qui est CHRISTUS DOMINUS IN CIVITATE DA-  
VID. VENIT autem non tantum, sed etiam VIDIT. Exod.  
XIV. 23. persequentes Ægyptii ingressi sunt post Israelitas in mare  
rubrum, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus, & equites per  
medium maris; &c. jamq; advenisset vigilia matutina, Ecce VI-  
DIT Dominus super castra Ægyptiorum per Columnam ignis, &  
Nubis, & perterruit Exercitum eorum, & subvertit rotas curruum,  
ferebanturq; in profundum: Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus  
Israelem: DOMINUS enim PUGNAT PRO EIS CONTRA  
NOS. Hoc Vidit erat militiæ, pugne, simulq; Victoriæ, Qvis  
hic Ignis, & Nubis Columnæ Dominus? Angelus, Comes, & Dux  
itineris Exod. XIII. 21. Jesulus noster Ignis, quia DEUS, Nubes, quia  
Homo., sed una Columna tum Ignis, tum Nubis, quia θεὸς ἐν ἰσχυρίῳ.  
Si tanti terroris, & stuporis fuit VIDERE de Columna Ignis & Nu-  
bis, quantam confusionem & consternationem Stygio Pharaoni  
cum omnibus Exercitibus infernalibus afferet, dum hodie non  
VIDET ex Columna Nubis & Ignis transitoria, sed tanqvā θεὸς ἐν  
θεώρω, DEUS Ipse VIDET ex humana Natura, ex nostra carne,  
verus Goel, & Consanguineus. Hic citra dubium clamant in-  
fernales Ægyptii: Fugiam9 Israelem: Dominus incarnatus pro Eis  
CONTRA NOS. Ecce Non modo VENIT, & VIDIT hodie Cuna-  
rum Heros, sed etiam VICT. Non enim tantum est ויש מלחמה  
Vir Belli, Vir pugna, Vir militiæ, sed Omnipotens est Nomen  
ejus,*

ejus, ut habet *Vulgat.* *Exod.* XV. 3. vel *Hebr.* *Jehova est Nomen ejus*: sed etiam יהוה נסי, *Jehova Victoria, Vexillum meum, Exaltatio mea*, c. XVII. 15 *Vicit n. Jesulus noster, Schilo, Filius securi* dinæ. de tribu *Juda Gen.* XLIX. 9. sicut *unus de Senioribus caelestibus Johannem flentem consolatur, Apoc.* V. 5. *Ne fleveris, VICIT Leo de Tribu Juda, radix David: Vicit Diabolum, Vicit Mortem, Vicit infernum, Vicit Mundum, Vicit Peccatum, & quicquid fidelibus adversum. Magna sic latent in Jesulo Nostro Officia, & mera τὸ VENI, VIDI, VICI Ejus, nobis parit tripudia. Infans est Heros, Parvulus est Gigas, Infirmus est Fortis, Impotens est Potens, Servus est Dominus, pauper est dives, Puer, in praesepio jacens, est Heros in pralio vincens!* Sed hæc sunt officia Jesuli, verum ὁμολογούμεως sunt *Maxima Mystera Regni, Optima beneficia, ratione nostri. Beneficia pariunt Officia. Qui per fidem toti sumus in Jesuli nostri beneficiis, neutiquam defides sumus in Genethliacis Officiis. Jesuli nostri, VENI, VIDI, VICI, nobis mera pariunt beneficia, nostrum VENI, VIDI, VICI, Jesulo nostro pariunt religiosa pietatis Officia. Ad hæc Iple nos invitatur, & excitatur per Psalmodicum Vatem Psalm.* XLVI. 9. *VENITE, & VIDETE Opera Domini, quæ posuit prodigia, juxta Vulgat. Admirabilis Jesulus noster in Operibus Incarnationis Esa.* IX. 6. hic mera cernimus prodigia, vel *Mystera, vera signa, sicut Esa c.* VII. 14. *notat: Dominus ipse vobis dabit SIGNUM, & miraculum, prodigium & Mystrium: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Immanuel: hinc Paulo dicitur ὁμολογούμεως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστηρίον: Deus manifestatus est in carne, vel incarnatus est. Hoc est Miraculum Miraculorum, Mystrium Mysteriorum, Arcanum Arcanorum!* vel secundum *Hebraum textum David inquit: Venite, & Videte opera Domini, quas fecerunt vastationes super terram, faciens cessare bella usq; ad extremum terræ, arcum conteret, & concidet hastam, plaustra comburet in igne. Nato Christo conticuerunt Dæmonum Oracula, cessarunt Ethnicorum idola, Idolothya, & alia Diabolica sacra. Nunc Princeps Pacis adest, Pax augusta tempore Cesaris Augusti floruit, templum Jani clausum fuit, & to-*

37

tus *Militia Caestis chorus* suum PAX IN TERRIS intonuit. *VENIAMUS* igitur, *VIDEAMUS* hęc Opera Domini, & in hac fideli Contemplatione bella, & cuncta bellorum arma, pacis amore, *VINCAMUS!* Venite, & Videte, rursus exhortatur Rex David, *Jesuli Nostri Minister, & Vates, Psal LXVI. 5. opera Dei: terribilis est in consiliis super filios hominum:* adhęc verba: *B. Dn. D. Job. Olearius* ad h. l. Kommt alle / und sehet mit Freuden / das allergröste Wunder der Menschwerdung 2 *Sam. 7. Luc. 2. Job. 1. 14.* und bedenkets / das uns Gott umb des *Messia* willen alles gutes thut / *Psal. 2, & 72.* Hic videre possumus τὸ θαυμάσιον θαυμάτων, quod mirantur *Angeli*, admirantur *Pastores Betlehemitici:* demirantur omnes *Natalitium Evangelium* à *Pastoribus* accipientes, teste *Luc. II. 18. Omnes, qui audierunt, mirati sunt de his, quę dicta erant à pastoribus ad ipsos.* In his certe *Pastoribus Betlehemiticis Speculum Genethliacorum Officiorum* offendimus. Sunt *Angelicae Concionis Auditores:* sunt *Angelicae Melodias observatores:* sunt *Evangelii Natalitii Cultores & Repetitores Dictorum & Gestorum Admiratores, Natalitii Gaudii predicatores &c:* sed hęc omnia, cum aliis, modo non attendimus; verum potius *Tò VENI, VIVI, VICI,* in iisdem inter alia *Genethliacę devotionis Officia* pię veneramus. Non hic audimus *Julium Cæsarem*, vel alios *gloriosos Imperatores, Præliatores, & Victores*, qui suum *VENI, VIDI, & VICI*, fastuosias ad propriam *Nominis sui gloriam* intonant: sed potius *plebeios homines, rusticos Pastores, & pauperrimos agrorum & pecudum cultores* conspicimus. Sed in his non *externum*, sed *internum*, non *politicum*, sed *mysticum*, non *bellicum*, sed *pacificum*, non *civile*, sed *spirituale*, *VENI, DIDI, VICI*, religiose notamus. Nihil enim magis in his ab ipso *Spiritu Sancto* commendatur, quam quod fuerint *VENIENTES, VIDENTES, & VINCENTES*, vel *INVENIENTES Puerum Victorem, & Pacis Principem: Transeamus*, dicunt post abitum *Angelorum Pastores*, (nim. ut *VENIAMUS* ad *Puerum, Christum Dominum usq; ad Betlehem & VIDEAMUS* hoc verbum, quod fecit *Dominus, & ostendit nobis: Et VENERUNT festinantes, & INVENERUNT Mariam & Joseph, & INFANTEM positum*



positum in praesepe: VIDENTES autem divulgant de ver-  
bo, quod dictum erat illis de puero hoc. Sic igitur Pastores  
fuerunt VENIENTES, VIDENTES, & VINCEN-  
TES, Officia Natalitia JESULO devotissime deferentes:  
VENERUNT Pastores ad praesepe Christi, non ex arbitrio li-  
bero, quod certe post lapsum nihil de Christo novit, cum ani-  
malis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus DEI 1. Cor. II. 14.  
nec ex rationis iudicio, ratio siquidem in his captivanda, cum  
omni intellectu, sub obsequium Christi II. Cor. X. 5. nec ex hu-  
mano consilio, licet enim Pastores deliberarint, de itinere Be-  
thlehemum versus suscipiendo, tamen nec ex suo, nec ex alio-  
rum hominum consilio viam hanc ingressi sunt: Venerunt igitur  
ad DEI mandatum, ad angelicum nuntium, ad Natalitium cae-  
litus allatum Evangelium v. 10. Verbum hoc Genethliacum est  
Veniendi principium, sine quo nihil quicquam de Christi Regis  
nativitate cognovissent, aut cognoscere potuissent: est Veni-  
endi medium, dum hoc sine medio nemo vult, nemo potest ad  
Jesuli cunas venire: est veniendi convenientissimum artificium,  
dum ad hoc Verbum omnem viam, omnem metam dirigunt, unde  
semper ad Evangelium Genethliacum respiciunt, tum sub itineris  
ingressu, v. 16. τὸ ῥῆμα τὸ πρὸ τὸ γεγονὸς, ὁ Κύριος, ἐγνώ-  
ρισεν ἡμῖν; tum sub itineris, progressu, quia διεγνώρισεν ὡς  
τὸ ῥῆμα τὸ λαληθέν] αὐτοῖς ὡς τὸ παιδίον τὸ ἐστίν; tum  
sub itineris egressu, quae v. 19. cum Maria πάντα συνέληθησαν  
τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλει ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Nam  
Verbum Natalitium omnibus fidelibus τὸ πᾶν est, in hoc my-  
stico ad cunas Christi adventu. Imitemur igitur hoc Pasto-  
rum Venire, ut contiones Angelicas, Propheticas, & Apostoli-  
licas diligenter legamus, frequenter audiamus, piis meditatio-  
nibus eas in succum & sanguinem convertamus, ut ad Jesulum re-  
cens natum & velimus, & possimus Venire. Non autem tantum  
Veniamus, sed etiam cum Pastoribus Videamus: Pastores venerunt  
pedibus, nos veniamus cordibus, illi per susceptam peregrinatio-  
nem, nos per devotam meditationem, illi ad praesepe materi-  
ale, nos ad spirituale, illi Bethlehemum, nos ad Jesuli Templum:  
illi

37

Illi *Viderunt oculis corporis*, nos *Videamus oculis fidei*, illi *naturali*  
*contēplatione*, nos *supernaturali consideratione*, illi *externa visione*,  
 nos *interna fide*. O quantum fuit *gaudium Pastoribus*, *Videre Do-*  
*minum*, in *præsepio*, sed *longemajus delictum* fidelibus *intueri Jesu-*  
*lum in cordis scrinio*. *Thesaurus Thesaurorum* *Jesulus* est: Hunc  
 in *anima* reponamus, Hunc in *corde* deponamus, hunc *memoria*  
 firmiter imprimamus, ut Eum perpetuo per *veram fidem* intueri  
 valeamus. Deniq; cū *Pastoribus Vincamus! Vincamus* *curas sollicitas,*  
*Vincamus* *vias nocturnas*, & inde *molestas*, *Vincamus* *Jesuli*  
*mansiones incertas*, cum ab *Angelo Domus Nativitatis*  
*Jesuli* neutiq; sit *definita*, sed *requisitioni Pastorum* relicta.  
 Hæc omnia cum *Pastoribus Vincimus*, quando *Jesulum*  
 nostrum, in *præsepio Verbi*, vel *Templi* *jacentem Invenimus*  
 vers. 16. Sic longe *rectius*, longe *certius*, longe *felicius* qui-  
 libet *Christianus* exclamare poterit, *εὐρηκα*, quam *Archime-*  
*des* apud *Vitruvium Lib. 9. cap. 3.* Nam hic *peccator* invenit  
 suum *Salvatore*! Hic *damnatus* invenit suum *Redemptore*!  
 Hic *Servus* suam *Liberatore*, *Debitor* suum *liberalem Satisfacto-*  
*rem*, *Mortuus* suum *Goalem & Vindicem*! Hic invenit *Inspiciens*  
*veram Sapientiam*, *impotens* *Veram Potentiam*, *pauper* omnem  
*Abundantiam*, *miser* omnem *εὐτυχίαν*. Veniat *anima fidelis*,  
 ut *Videat*; *Videat*, ut *Vincat*, & in *Jesulo* recens nato semper  
*exultare*, & in *Genethliaca exultatione* plena *fiducia* cordis *excla-*  
*mare* queat, *VENI; VIDI VICI! VENI* ad *Jesuli præsepium*, *VENI* ad  
*ipsū meum Jesulū! VIDI* *Jesulū meum*, *VICI* *cunctas miseras*, *cun-*  
*cta peccata*, *cunctas peccatorum penas*, in *Jesulo* meo! O *Cives*  
 nostri, o *fratres Jesuli*, dicite *Vos* quoq; cum *Bethlehemiticis*  
*Pastoribus* *VENIAMUS*, *VIDEAMUS*, & *VINCAMUS* in  
*Jesulo*! Sic imitabimini *Magnos Heroes*, *Regem Davidem*, *Pastores*  
*Bethlehemiticos*, tanquam *primos Jesuli Cultores*, & *Pracones*!  
*Veniatis* igitur *Nobiscum* ad *Jesuli præsepium*, quod est *altare*,  
*Videatis* ibi *Jesulum in Verbo*, *inveniatis Thesaurum summum*, &  
*gratitudinem* vestram, *oblatis muneribus*, *declarate Præsepium*  
*Ministris*. Sic eritis *Genethliaci Victores & Triumphatores*. P.P.  
*Witteb. In Vigilia Nativitatis, Anno MDC LXXXVI.*



